



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum
omnibus Christi fidelibus, tum potissimum Gratiarum Cœlestium,
lucrorumque æternorum avidibus, quà theoreticè, quà practicè
proponuntur

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066391

Stimulus 12. Status Sacerdotalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45462

Stimulus XII.

Status Sacerdotalis.

Status & vocatio Sacerdotalis amplius aliquid importat obligationis Homini in Sacerdotio posito, quam Religiosa Vocatio. Hæc enim solum proficere & ad perfectum conari jubet, at illa perfectum in virtute hominem, ejusque actualem possessorem esse requirit. Atqui perfectus esse nemo solet, nisi proficiendo; ergo ut Sacerdos perfectus sit, proficiens esse, & perfectui vocare debet. Quis enim ad terminum pervenit ad quem non cucurrit? Quid quod Sacerdos, non soli sibi debet vel proficere, vel perfectus esse, sed etiam plurimis aliis? Sicut enim Sacerdos non sibi, neque propter se est. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumpitus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum,* ita etiam, non sibi soli proficere aut perfectus esse debet, sed etiam aliis, quos verbo & exemplo suo, suisimiles, Deo dignos placitosque tenetur efficeri, alioqui audiet à Domino. *O Pastor! O Zach. ii. 17.* *Idolum!* Pastor quidem vocatione & nomine, idolum usu & ipsa re. Sed enim nihil ita vel suavititer, vel efficaciter tenaciterque obligat Sacerdotem ad proficiendi insigne studium, insignemque actu ipso perfectionem, quam Sacrosancti five Sacramenti, five Sacrificii altaris, adeò libera, adeoque familiaris, adeò intima usurpatio atque tractatio. Potestne homo, scatens negligentiis & desidiosis temporibus, potestne non evolans Seraphicis (dicam Divinis) alis atque volatibus accedere ad Deum? adglutinari, commisceri, conviscerari, concorporari, indivinarique Deo? Hæc quidem propter stuporem men-

Q. 5. tium

tium nostrarum sub intelligentiam nostram, quasi non cadunt: attamen fides nostra, non est possibile, ut intellectum nostrum non convincat.

Mentiatur ergo Sacerdos quantum chaos discriminis firmatum sit inter Deum & Sacerdotem offerentem, aut communicantem, & intellige quanto sit opus sibi conatu in cursu, ad superandum decurrentumque discrimen illud abyssalis distantiae, per condignam, seu sumptionem, seu oblationem Domini Dei sui in Eucharistico Sacramento atque Sacrificio. Ad unicum tantum Comunionis vel oblationis Eucharisticæ actum, totius vitæ cursus sanctissimus vix satis esset: ad sœpè, ad quotidie communicandum ac offerendum condigne, quanta putamus, quanta putare debemus opus esse contentione in sanctitatis studio, & in perfectionis omnimodæ apparatu conquirendo? Deus noster in Eucharistia, absconditus cibus grandium est, faciens grandescere manducantes: & tamen nos, neque grandescimus, neque gigantescimus, sed vix pigmæos & navos exæquamus, post multos quamvis Sacrificii annos. Quis se exhibebit Deo Sacerdotem, qui ita vivere curet, ita in studio sanctitatis perfectionisque currat, ut meritò quotidie communicare atque celebrare possit? Sed noverit Dominus, qui sunt secundum cor ejus. Certum est, quod si non omnis Sacerdos communione & sacrificeatione quotidiana grandescit, tota nihilominus grandescit Sancta omnia nostrum Mater Ecclesia.

Stimulus XIII.

Vocatio Societatis JESU.

STIMULUS hic non ad omnes pertinet; pertinet tantum